





PA. 131.101



# Index

- Lettura di Monsig. Carlo Marescotti la Soltis f. ad un Abbato Francese  
dimorante in Roma, sopra la differenza delle Teologie di Giordan  
e sopr'ultima dichiaratione presentata dallo S. Officio da Monse.  
Hannibal Donore in Teologia e dogmato della Universita di Louvain  
approvato la S. Sede.
- Riflessioni sacre sopra la lettura d'un cattolico Romano Ad uno de soci  
della Compagnia di Gesu circa le nove presence dello Corpo di Christo in  
la comunione.
- Thesij. V. Historico-Theologica Censure Louvaniensij Doctrina de gratia  
per se officia et scientia Medicis difutata a Cornelio Tansgau, Reg-  
ius et doctissimo liberto Hernandez.
- Proposoj. V. Cornelij Tansanij Epj. Irenaeij Tancij. proponitum Tansanij co-  
traria exhibita per Joac. Thurium.
- Resolutio altera S. Facultatis Theologicae Louvaniensis ad legationes qua-  
sdam dogmarum ex dicta et undique de sumptu.
- Opiniones theologicae ab aliis, at subsumptu resolutioni hanc, (ut  
ijs quidem exstirpari videntur) Facultatis Louvaniensis et quoniam  
quasdam dogmaticas.
- Declaratio monij Mag. Deajavij Vicarij styl. Sicili. dilect. Devarij super  
hodierno negotio formularij.
- Thesij Historico-Theologica Louvaniensium cum Thomisij coniunctione circa  
necessitatem gratiae per se officia in statu natura loquuntur. f. f.  
sua. Rer. Lach. Prosa. Libera Hannibal.
- Responsa ad Dicentes q. q. Marescotti et Marescotti Dejanus et  
testantur auctoribus. Louvain. May 1595.

Louv Concilij Tridentini de laborioso Baptismo Sess: 17 C. a. Vindicatio à 50:

Opposta et contra Stphois magi Martini Steyaert. Accedit Collatum de Amo-  
re predominante contra eodem

Anti-thesis in ea doctrinam aximiorum querendam a S. Paulino Louaniensi  
si Doctorum de corditate conuersionis per opera et doctrina Martini Ste-  
yaert de conuersione et repentina sine operibus

Immanes Calumniæ quæ docet Martinus Steyaert Physicæ et Theologicæ  
ratione peccatorij 13 Junij 1693 coram iudicio Theologorum milieumine de  
infando crimina flagellationis suspicio condidit ut quæ rigorista appellat

Impunitam Strenuam de mala fide, calumniam et falsitate coniunctum per  
S. Paulino Louaniensem Theologum

Stronæ siue Suplementu Operis De Hili pro argumento Hihili contra operas  
peccatoriorum nuper editas cum censuræ M. Steyaert V. & S.

Dificultas branci propositiq D. Martino Steyaert super declaracione mentis sua  
contra doctrinam de corditate conuersionis quam se apud Sedem accusare  
proficeret, ubi et discussio doctrinavix de conuersione et repentinaq

Dificultas branci continuare debet et Thesis de Iustificatione peccatorij  
defendendam 13 Junij 1693 Preside D. Martino Steyaert

Osservazioni di un Professore di Filosofia sopra le lettere scritte da un Paolo-  
lo Fiammango al Vescovo di Tornaij

Bogorius quinque articulorum Epistola Genarum collata discipulis S. Augu-  
stini pro pacifice societatis anno 1663 Accademia Articulique postulat  
Theologica Louaniensis persuasus de pietate et caritate Alii jurebant;  
item quæ obvoluti regule anno 1677.

Atriculi Theologici quo, famulorum Luaniorum Innocentius L. transmisit ac obser-  
vit iudicandoz aliquo idem successimus Congregacioni S. Officij tradidit exami-  
nandoz ut quos ipsi post maturum ac iteratum examen censuerunt sanos et im-  
munes ab omni nota anno 1677

Peclesia Leodiensis Summo Pontifici Innocentio XII supplicans pro suo Seminario et  
louarinam R.R.P. Collegij Anglicani Societatis Iesu Denuniam  
Peclesia Denunianus abbas

Siugdem Pctly Denunianus tertias

Piis deambulatibus Denunianis quartas, quintas, sextas, septimas, octavas,  
nonas, decimas, undecimas, duodecimas, decimasternas, decimasquartas,  
decimasquintas, decimasextas, decimaseptimas

Refutatione d'un Monitorio dell' Arcivescovo di Malines, significata a Don  
William de Naufrage de la Carde in Bruxelles 17 hab. 1704

Diplomatum per ipsius habili oratione - et iurib. am  
et certe in iuris civilicun com - 1663. Vol. 1. b.  
ad hanc propositi, ut - obligo - et iuror de locacione  
restituimus voluntate - et quoniam apud d. S. Petrum  
in eisdem die et diecum dicitur - la conuersione - et  
la bona conuincione. Secundum. Theorem laboris non est  
aliam ratione nisi est iustificatio non debita  
et hoc dico Professore de Philologiae aperte lauare  
conuincio al' ista o. de Tornay  
quoniam cum locum ipsius tenet in villa  
non sicut et sociant. anno 1663. Rebutio.

B. Chos. Confess. S. M. Iug. Minorum

77

LOCUS

10

CONCILII TRIDENTINI

D E

L A B O R I O S O

B A P T I S M O

Sessione 14. c. 2.

V I N D I C A T U S

A

JOANNE OPSTRAET S.T.L.

C O N T R A

A P H O R I S M O S

EXIMII ATQUE AMPLISSIMI VIRI

MARTINI STEYAERT.

A C C E D I T

Corollarium de Amore prædominante contra eosdem.



L E O D I I,

Ex Typographia HENRICI HOYOUX Anno 1695.

i 17524866



78

# LOCUS CONCILII TRIDENTINI DE LABORIOSO BAPTISMO

Sess. 14. c. 2.

## VINDICATUS

§. 1.

*Proponitur Locus Tridentini & Argumentum, de quo quæstio.*

 Elebris hodiè quæstio est: An qui post Baptismum lapsus est in crimen, soleat passim sine magnis fletibus & laboribus per Sacramentum Pœnitentiaj justificari; an secus?

Partem affirmativam tuetur Amplissimus STEJARTIUS: Negativam ego probasse videor, tum in *Dissertatione de Conversione peccatoris*, tum in *Dissertatione de praxi administrandi Sacramentum Pœnitentiaj*. Quibus accessere Difficultates Breves & Difficultates continuatæ, eidem Eximio atque Amplissimo Viro Propositæ, ubi eadem quæstio discutitur.

Argumenta varia, quæ ad rem no-

stram confirmandam, tum ex Sacris Litteris, tum ex Conciliis & Patribus illic prolata sunt, hic non repetam, cum nondum iis responderit Vir Eximius, silentio suo confessus, aut se responde-re non posse, aut nolle.

Unum est, desumptum ex Concilio Tridentino Sess. 14. de Pœnit. Cap. 2. adversus quod præcipue declamat, & de quo velut de Sophisme triumphat. Est autem ejusmodi:

*Pœnitentia, teste Concilio Tridentino, laboriosus Baptismus à Patribus dictus est:*

*Ergo qui in crimen post Baptismum lapsus est, non nisi laboriosè per Sacramentum Pœnitentiaj justificatur.*

Argumentum hoc DECANTATUM vocat in suis Aphorismis Sec. 5. de Sacram. Pœnit. §. 2. n. 5. nihilque minus, quam quod volumus, per illud probari affimat. Putat nimis-rum, Pœnitentiam à Patribus dici la-borio

*boriosum quemdam Baptismum, non quia sine magnis fletibus & laboribus per Sacramentum Pœnitentiae passim non pervenitur ad justificationem; sed quia sine illis non pervenitur ad eam novitatem & integratatem, seu, ad plenam illam ac integrum peccatorum omnium remissionem, quam consequimur in Baptismo! Per Baptismum enim, inquit Synodus, Christum indientes, nova prorsus in illo efficiunt Creatura, PLENAM ET INTEGRAM PECCATORUM OMNIUM REMISSIONEM consequentes: ad quam tamen NOVITATEM ET INTEGRITATEM per Sacramentum Pœnitentiae, sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus, ut merito pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à SS. Patribus dictus fuerit.*

Nolo jam de sensu Tridentinæ Synodi contendere: sinam paulisper Virm Amplissimum in suo sensu abundare & exultare: Vel sic tamen ex loco Tridentini, quod volumus, confici ostendam hoc argumento:

*Per Sacramentum Pœnitentiae sine magnis nostris fletibus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus ad eam novitatem & integratatem, quam consequimur per Baptismum:*

*Ergo etiam per Sacramentum Pœnitentiae sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus ad justificationem.*

Argumentum hoc velut *Parvum Sophisma* explodebat die 24. Novembris 1694. Et die 26. in lectione publica Argumentum *vitreum* appellata-

bat, quod primâ fronte speciosum est & lucet, sed facile frangitur Quæ quidem valere poterant apud Vulgus indoctum; sed non ita ludi se sinunt Doctiores Theologi. Artificium rhetoricum est, argumenta extenuare & explodere, dum premunt: at non propterea vis illorum eluditur. Ego proinde argumentum istud non *Sophisticum aut vitreum*, sed solidissimum esse demonstrabo.

¶ A B  
§. 2.

Probatur Argumenti sequela trilemmate.

**C**onsentit Vir Amplissimus, per Sacramentum Pœnitentiae sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, perveniri nequaquam posse ad novitatem & integratatem, quam consequimur per Baptismum.

Consentit præterea, duas esse illius novitatis & integratatis partes; alteram ab initio conversionis usque ad justificationem; alteram à justificatione usque ad plenam remissionem pœnitentiam temporalis.

Porrò si ad novitatem istam ac integratatem magni fletus & labores à divina justitia exigantur; necesse est eos exigi vel ratione potissimum primæ partis, vel potissimum ratione secundæ, vel ratione utriusque simul.

Quodlibet horum elegerit, cogetur simul admittere, eos etiam exigi ad justificationem.

Non dicet eos exigi ratione potissimum partis primæ: nam sic ipse sibi contradiceret; cum doceat peccatorem (nisi forte recidivus sit vel habituatus,

ut

79

ut loquitur ) repente & facile per Sacramentum Pœnitentiae justificari.  
Dicetne illos exigi ratione potissimum partis secundæ ? Non existim : nam sic contradiceret sacris litteris , veteri praxi Ecclesiæ , sanctis Patribus ac rationi.

Venit Baptista prædicans Baptismum  
*Pœnitentia*: At quem in finem ? An in remissionem præcipue pœnæ temporalis ? Non ; sed in remissionem peccatorum. *Luc. 3.* *Fructum dignum Pœnitentiae* exigebat : At à quibus ? An à justis, qui non erant obnoxii nisi pœnæ temporali ? Minime ; sed exigebat ab iis qui obnoxii erant iræ venturæ, hoc est, æternæ : *Genimina risperarum*, inquit, quis ostendit vobis fugere à ventura ira ? Et ipse viam, quâ fugerent, demonstrans : *Facite ergo*, inquit, *fructus dignos Pœnitentiae*. Igitur fructus digni Pœnitentiae sunt , quibus poena æterna redimitur.

Pœnitentiam similiter prædicavit Christus , prædicarunt Apostoli : At quibus , nisi peccatoribus ? Cur , nisi ut remissionem peccatorum & pœnæ æternæ per Pœnitentiam obtinerent ? Si Pœnitentiam non egeritis , inquit Christus , omnes similiter peribitis. *Luc. 13.*

His conformis est antiqua praxis Ecclesiæ. Quibus enim illa tot annorum Pœnitentiam olim injungebat , nisi lapsis in crimen ? Quod , nisi tò præcipue , ut deletâ per Pœnitentiam culpâ mortali & pœnâ æternâ , Deo reconciliarentur ?

Dixit quidem Melanchthon in *Apol. Confes.* *Aug. art. de Confes.* & *satisf.* totam illam Ecclesiæ praxim fuisse rem

( 5 )  
politicam, & satisfactiones illas tantum ad disciplinam , non ad placandum Deum valere (quod & Calvinus habet lib. 3. *Instit. c 4 §. 39.*) sed aliter semper sensit Ecclesia , quæ ad placandum Deum disciplinam istam potissimum instituit, ac per plura sæcula servavit.

Patres etiam , dum Pœnitentiam tantoperè commendant, ad lapsos præcipue sermonem dirigunt , & hâc ratione iratum Deum placari posse , & poenas æternas evadi inculcant.

At hæc omnia nihil faciat Vir Amplissimus , & contra persistat, ratione potissimum pœnæ temporalis, quæ adhuc delenda supereft, magnos fletus & labores exigi. Ego vel ex hoc ipso sequi ostendam , multò magis illos exigi ratione culpæ mortalis & pœnæ æternæ.

Varias rationes, ob quas Deus in justificatione peccatoris magnos fletus & labores exigat, assignat Augustinus in psal. 6. & 106. Sed quæ omnes concludant , si fletus & labores exigantur ad delendam pœnam temporalem, multò magis illos exigi ad delendam culpam mortalem & pœnam æternam.

Prima est , ut persuadeatur animæ , in quæ mala se præcipita verit. At si per magnos fletus & labores illi persuadendum sit, quantum malum sit pœna temporalis, cui se obnoxiam reddidit ; profectò per fletus & labores multò majores illi persuadendum est, quantum malum sit culpa mortalis & pœna æterna.

Altera est , ut ex difficultate sanationis diligentior sit custodia sanitatis. At si magni fletus & labores exigantur à peccatore , ut caveat deinceps diligentius pœnam temporalem ; multo sanè amplius

plius illi exiguntur, ut discat caveret diligenter culpam mortalem & poenam aeternam.

Tertia, ut largitorem hujus boni agnosceremus. At si per magnos fletus & labores agnoscendus sit largitor boni minoris, remissionis scilicet poenae temporalis; multo magis per illos agnoscendus est largitor boni majoris, remissionis scilicet culpae mortalitatis & poenae aeternae.

Quarta, ne viribus suis tribueret anima, quod se tam facile posse sentiret. At si per magnos fletus & labores docenda sit anima, suis viribus tribuendum non esse, quod remittatur poena temporalis; multo certe magis per illos docenda est, suis viribus tribuendum non esse, quod ei remittatur culpa mortalitatis & poena aeterna. Si enim, inquit Aug. in Psal. 106. primitus cum vellet posset, & non sentiret adversus se obnientes cupiditates, nec vinculis suis gravata anima collideretur; suis viribus tribueret, quod se posse sentiret.

Itaque sive Scripturam & traditionem, sive rationem ipsam consulat Vir Eximius; non existimo eum dictum, magnos fletus & labores potissimum exigi ratione partis secundae.

Superest igitur ut dicat, illos exigi ratione partis utriusque simul: ita nimium, ut neque seorsim magni esse debeant fletus & labores qui exiguntur ratione primae partis; neque seorsim qui exiguntur ratione partis secundae; sed tamen simul juncti sint magni. Hic sumimus subtilitatis apex est, ad quem tandem configuisse visus est, cum argumentum explodendo dixit: Parvum sophisma! Quasi vero non plus requiratur ad totum, quam ad partem! Possum sci-

licet sine difficultate habere septuaginta quinque; ergo & centum.

Verum non sic effugit Vir Amplissimus. Admitto prorsus, plus requiri ad totum, quam ad partem; plus, ut habeantur centum, quam ut habeantur septuaginta quinque: sed consequiam propterea Sophisticam esse, nequaquam admitto.

Siquidem totum aliquod dici potest adesse dupliciter: physicè, & moraliter.

Tunc adebet physicè, cum nulla ipsius pars, nè indivisibilis quidem, deest. Sic v.g. ut dicatur quis habere centum florenos physicè totos, non sufficit si habeat florenos nonaginta novem & novemdecim asses cum tribus quadratis; etsi ad centum non desit nisi unus quadrans. Similiter ut quis dicatur confecisse iter Bruxellense totum physicè, non sufficit si pervenerit ad locum, viginti tantum passibus à porta distantem; sed intra ipsam portam pertigisse eum oportet. Eadem ratione, ut dicatur quis mundus totus physicè, non sufficit si toto Corpore mundus sit, pedibus exceptis, sed nullo eum membro sordidum esse oportet. Denique, ut dicatur quis ex corde physicè toto Deum diligere, non sufficit si eum diligit amore qualicumque prædominante super omnia; sed ab omni prorsus amore inhæsivo creaturæ, quantumvis minimo, purum eum esse necesse est.

Verum ut totum aliquod dicatur adesse moraliter, non requiritur ut nulla omnino ipsius pars, etiam indivisibilis desit, sed sufficit ut si qua desit, etiam exigua sit ut veluti pro nihilo habeatur, comparata cum reliquis partibus

(7)

tibus quæ adsunt, juxta hoc axioma morale: *Quod parum distat, nihil distare videtur.*

Sic v.g. qui totum iter Bruxellense confecit exceptâ parte valdè exigua, dicitur confecisse iter totum moraliter. Qui lotus est toto corpore, et si pedibus adhuc in luto hæreat, dicitur tamen mundus totus, vel ipso Christo afferente: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet; sed est mundus totus.* Joan. 13.

Atque ut alterum exemplum è Scripturis afferam, Deum diligit ex corde toto moraliter, qui illum diligit amore prædominante super omnia, et si adhuc aliquâ cordis parte rebus creatis inhæreat.

Porrò observandum, cum de re moraliter agitur, non Physicè, sed moraliter, locutiones intelligi oportere: Proinde & sic intelligendum Concilium Tridentinum, ubi dicit: *Sine magnis nostris fletibus & laboribus ad novitatem & integratatem, divinâ id justitiâ exigente, nequaquam perveniri.*

Neque enim existimandum, critice & physicè locutos esse Patres, & ex Patribus Concilium, ut tunc tantum magnos fletus & labores exigant, cum perveniendum est ad novitatem & integratatem totam Physicè; sed locutos esse moraliter, ut etiam illos exigant, cum perveniendum est ad novitatem & integratatem totam moraliter.

Jam verò novitas illa & integritas tota quodammodo moraliter acquisita est, cum ad justificationem per ventum est. Ea siquidem pars, quæ novitati illi & integratati adhuc deest, adeo est exigua, si comparetur cum ea, quæ jam acquisita est. ut in moralibus propè debeat pro nihilo reputari.

Enimverò quid est pœna aliqua temporalis quæ adhuc superest, si comparetur simul & cum pœna æterna & cum culpa mortali, quæ jam remissæ sunt?

Iterùm dico, ponderetur hinc simul & remissio culpæ mortalis & remissio pœnæ æternæ, indè verò sola remissio pœnæ alicujus temporalis: quis erit homo morali judicio praeditus, qui solam hanc pœnæ temporalis remissionem putet tantopere considerandam, ut nisi hæc tota adsit, moraliter adesse censenda non sit illa novitas & integritas, quamquam jam adsit & remissio culpæ mortalis & remissio pœnæ æternæ?

Quis verò sibi persuadeat, in mentem venisse Patribus Tridentinis, per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus perveniri quidem posse ad remissionem culpæ mortalis & pœnæ æternæ; sed sine illis nequaquam perveniri posse ad remissionem pœnæ temporalis?

Et id quidem divinâ exigente justitiâ?

Pulchra enimverò divinæ justitiæ ratio, sine magnis fletibus & laboribus remittere culpam mortalem & pœnam æternam; & sine illis non remittere pœnam aliquam temporalem!

Postremò, quis credat ideò præcipue Pœnitentiam à Patribus *laboriosum Baptismum* dictum esse, quia per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus nequaquam pervenire possumus ad remissionem pœnæ temporalis; non verò præcipue ideò, quia per illud sine magnis nostris fletibus & laboribus nequaquam per-

pervenire possumus ad remissionem culpæ mortalis & pœnæ æternæ ? Sanè luserunt nos Patres insigniter , si dum clamant toties . in Sacramento Pœnitentiaæ opus esse fletibus & laboribus , nihil aliud dicere voluerint , quam iis opus esse , dum quis vult non solum justificari , sed etiam omnem pœnam temporalem delere : minimè vero , dum nisi ad justificationem pervenire desiderat.

Firma itaque manet sequela argumenti supra positi :

*Si per Sacramentum Pœnitentiaæ sine magnis nostris fletibus & laboribus pervenire nequaquam possumus ad plenam illam novitatem & integritatem , quam consequimur in Baptismo : Igitur per Sacramentum Pœnitentiaæ sine magnis nostris fletibus & laboribus pervenire nequaquam possumus ad justificationem .*

Quia ( ut iterum repetam ) ea pars , quæ post justificationem ad plenam novitatem & integritatem deest , adeò est exigua , ut si comparetur cum ea parte , quæ est usque ad justificationem , magnoperè in moralibus attendenda non sit , adeoque censeri non debet ad eam multum attendisse Synodus Tridentina cum dixit : *Per Sacramentum Pœnitentiaæ sine magnis nostris fletibus & laboribus ad novitatem & integritatem , divinâ id exigente justitiâ , non perveniri .* Res clarescat exemplis.

Pone aliquem dicere , *sine magnis laboribus perveniri nequaquam posse Lovanio Bruxellas : nonne morali consequentiâ rectissimè inde inferes : Igitur sine magnis laboribus perveniri nequaquam potest ad locum medio tantum quadrante Bruxellis distantem ?*

Si quis dicat , *sine magnis laboribus non acquiri centum florenos : nonne similis consequentia recte concludas , etiam sine magnis laboribus non acquiri florenos nonaginta novem ?*

Si afferat quis , *sine magnis laboribus non lavari corpus totum : nonne inde conficias , sine magnis laboribus non lavari corpus , etsi pedes excipias ?*

Denique ut exemplum quam simillimum adferam : Pone dictum fuisse à Concilio Tridentino , *sine magnis nostris fletibus & laboribus perveniri nequaquam posse ad justitiam , quam in Adamo perdidimus : Quis Concilium sic intelliget , ut credat tantum illud loqui de justitia , quæ futura erat in statu innocentia ; non autem de justitia , quam nunc passum homo in statu naturæ lapsæ per Pœnitentiam acquirit ? Simili ergo ratione , cum dicit Concilium , *Per Sacramentum Pœnitentiaæ sine magnis nostris fletibus & laboribus perveniri nequaquam posse ad novitatem & integritatem quam consequimur per Baptismum ; rectissimè illud intelligimus , non tantum de novitate illa & integritate plena ac perfectâ , sed etiam de imperfectiori quadam , qualis passim acquiri solet per Sacramentum Pœnitentiaæ .**

### §. 3.

### SCRUPULUS.

Dum hæc scriberem , dubium aliquod non contempnendum mihi movit doctus quidam Theologus , præsertim circa hanc assertionem : *Remissio pœnæ temporalis pars valde exigua est , si comparetur cum remissione culpæ mortalis & pœnæ æternæ . Aut potius circa hanc se- que-*

(9)

qualem : *Si sit pars tam exigua; igitur etiam sine illa ad justificationem exiguntur magni siervi & labores.*

Siquidem, inquietabat, Deus ab Adamo exegit pœnitentiam nongentorum annorum, è quibus verosimile est eum non nisi tempus modicum impendisse ad delendam culpam mortalem & pœnam æternam; cum tamen annos reliquos impenderit ad delendam pœnam temporalem.

Similiter, inquietabat, Ecclesia olim pro uno crimen, puta fornicatione, injungebat pœnitentiam septem annorum: & esto pro obtainenda remissione culpæ mortalی & pœnæ æternæ necessarios putasset menses aliquot, aut annum medium, aut etiam annum integrum; tempus tamen ex annorum, aut eo amplius, quod supererat ad obtainendam remissionem pœnæ temporali, multò erat diuturnius: Igitur censuit vetus Ecclesia, majoribus fletibus & laboribus opus esse ad delendam pœnam temporalem, quam ad delendam culpam mortalem & pœnam æternam. Ita non indoctè Theologus.

### S O L U T I O.

Verum respondendum, ad primum quidem exemplum: Non exegisse Deum ab Adamo nongentorum annorum pœnitentiam, ob id solum ut per eam primum pro culpa mortali & pœna æternâ, ac deinde etiam pro omni pœna temporali satisfaceret, sed multis aliis de causis: v. g. ut sic intelligeret Adamus & Posteri, quanta fuisset primi illius peccati magnitudo; deinde, ut primus parens sentiens è quanta felicitate cecidisset, & in quam

lapsus esset infelicitatem, tantò magis ad amissam felicitatem niteretur; tum, ut & ipse peccatum caveret studiosus, & posteris documento foret ad illud cavendum; præterea ut exemplum daret pœnitendi, qui peccandi exemplum præbuerat &c. Itaque quamvis ab illo Deus nongentorum annorum pœnitentiam exegerit, non tamen ea tota ad delendam culpam & pœnam exacta est; sed etiam post culpam & pœnam plenè remissam reliquit eum pœnitentiæ & pœnalitatibus multis obnoxium, ut alios inde fructus ipse & posteri ejus perciperent.

Ad alterum exemplum eadem ferè responsio est: Neque enim Ecclesia olim tot annorum pœnitentiam injungebat eâ sola de causa, ut per eam obtineretur simul remissio pœnæ temporali; sed ob alias rationes plurimas, quas enumerat Tridentinum Sess. 14. de Pœnit. cap. 8.

Primam exprimit his verbis: *Sanè & divinæ justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipientur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritu S. dono, scientes Templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint.*

Secunda ratio est: *Ne... occasione accepta, peccataleviora putantes, velut injuriis & contumelias in Spiritum Sanctum, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.*

Tertia: *Quia magnopere à peccato revocant, & quasi freno quadam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ.*

Quarta: *Quia cautiiores & vigilantes*  
B

tiores in futurum pœnitentes efficiunt.

Quinta : Medentur quoque peccatorum reliquis.

Sexta : Vitiosos habitus malè vivendo comparatos , contrariis virtutum actionibus tollunt.

Septima : Securior nulla via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam , quam ut hæc pœnitentia opera homines cum vero animi dolore frequentent.

Octava : Dum satisfaciendo patimur pro peccatis , Christo Jesu , qui pro peccatis nostris satisfecit , ... conformes efficimur.

Nona : Certissimam indè arrbam habemus , quod si compatimur , & conglorificabimur &c.

Itaque verum non est , ad obtainendam remissionem solius pœnæ temporalis , plus olim temporis ac pœnitentia injunctum fuisse , quam ad obtainendam remissionem culpæ mortalis & pœnæ æternæ.

Veniamus ad Responsa , quibus Amplissimus Stejartius Argumentum nostrum infirmare conatus est ; & quam ea infirma sint , videamus .

#### §. 4.

### PRIMA EXIMII STEJARTII AD ARGUMENTUM RESPONSI O.

Prima ipsius Responsio die 24. Novemb. hæc erat : Plus requiritur ad totum quam ad partem ; ergo plus requiritur ad obtainendam remissionem culpæ mortalis & pœnæ tum æternæ tum temporalis , quam ad obtainendam remissionem culpæ mortalis & pœnæ æternæ tantum.

### RESPONSIONIS PRIMA REFUTATIO.

Totam illam responzionem libens

admitto : sed eam paulò antè refutavi .

Quid enim indè inferet Vir Eximius ? An sine magnis nostris fletibus & laboribus perveniri ad justificationem ? Sophisticè : Nam etsi plus requiratur ad totum , quam ad partem ; nihil tamen vetat , tam ad partem , quam ad totum magnos fletus & labores requiri . Licet enim qui requiruntur ad partem , minores sint iis qui requiruntur ad totum , possunt tamen & hi & illi esse magni similiciter .

Quid ergo inferet ? Hoc unum scilicet : Non subsistere argumentum à me antè prolatum .

At ego illud in rebus moralibus subsistere , jam antè pluribus exemplis demonstravi . Moralia quippè moraliter intelligenda sunt : & si quis moralia velit intelligere juxta crism Physicam aut Metaphysicam ; videat is ne plura præcepta moralia , sive in sacris litteris , sive à Patribus tradita enervet . Clamat Deus per Joëlem : Convertimini ad me in toto corde vestro , in jejunio , & fletu , & planctu &c. Sed clamorem hunc facilè enervabis si dixeris , intelligendum esse Prophetam de conversione ex corde toto physicè , atque ad hanc solam requiri jejunium , fletum & planctum ; non autem de conversione ex corde toto moraliter . Plura huic similia passim obvia sunt .

### ALTERA EJUSDEM AD IDEM

### ARGUMENTUM

### RESPONSI O.

Etsi die 24. Novemb. 1694. disputationi publicæ prætidens Amplissimus Stejartius , tamquam parvum sophisma argumentum supra positum expla-

explosisset : non potuit tamen illud vel bidui spatio digerere. Nam die 26. Decembris in lectione publica illud reconquens , admisit quidem primâ fronte speciosum videri, at vitreum esse, quod luc eat, sed facilè frangatur. Atque en tibi malleum , quo sibi id frangere vi fuis est : Quia , inquit , inde sequetur hæresis in Tridentino damnata , nam quam remitti culpam , nisi simul remittatur & pœna : si enim , ut contendit argumentum , dum remittitur id quod majus est , remittatur etiam id quod minus est ; profectò consequitur , remissâ culpâ , quæ major est , remitti etiam pœnam , quæ est minor.

Ita cum stupore retulere mihi quidam , qui lectioni interfuerent.

### R E F U T A T I O .

Adduci non possum ut credam , hæc ab Amplissimo Viro dicta fuisse. Quis enim umquam sic argumentatus est : Remittitur id quod majus est ; ergo etiam id quod minus ? Aut ubi umquam sic argumentantem audivit ? Ut ut sit , si rectè retulere , qui lectioni interfuerunt , imaginarium sibi argumentum objecit Vir Eximus , quod cum plausu solveret & exploderet , tamquam objectum ab aliis : verum autem argumentum , quod objectum fuerat , dissimulavit. Sin retulere minus rectè ; nihil obterit monuisse , istud argumentum neque à me neque ab aliis , quod sciam , umquam motum fuisse ; sed hoc potius :

*Sine magnis fletibus & laboribus , juxta Amplissimum Stejartium , non remittitur pœna temporalis :*

*Ergo sine magnis fletibus & laboribus non remittitur culpa mortalis & pœna æterna.*

### TERTIA EJUSDEM AD IDEM

#### A R G U M E N T U M

#### R E S P O N S I O .

Necdum argumentum digresserat Vir Eximus die 4. Decembris , cum thesi cuidam præsedidit , cui subtexuit hoc COROLLARIUM : Quod non plus requiratur ad deletionem pœnæ simul & CULPÆ , quam ad solam JUSTIFICATIONEM à CULPA ( quamvis hæc multo PRINCIPALISSIMA sit ) hæreticum est , & damnatum in Trid. Seff. 14. Cap. 8. item Can. 12.

#### R E F U T A T I O .

Admitto prorsus , id esse hæreticum & damnatum : sed quis umquam hoc dixit ? Quis Catholicus somniavit umquam , non plus requiri ad deletionem pœnæ simul & culpæ , quam ad solam justificationem à culpa ? Sed artificiosè hoc veluti ab Adversariis dictum posuit Vir Ingeniosus , ut sic à veris quæ objiciuntur argumentis animos legentium averteret , & converteret ad argumenta quædam imaginaria , quibus & ipse sibi plausum conciliaret , & aliis nescio quam hæreleos suspicionem inureret.

Hoc itaque dicimus : Plus requiri ad deletionem pœnæ simul & culpæ , quam ad solam justificationem à culpa .

At simul afferimus : Si magni fletus & labores requirantur ad deletionem culpæ mortalis & pœnæ tum æternæ tum temporalis ; requiri etiam magnos fletus & labores ( cum proportione quadam ) ad deletionem culpæ mortalis & pœnæ æternæ tantum , quod supra abunde ostensum est .

#### Q U A R T A

QUARTA EJUSDEM  
RESPONSI.

*Culpa mortalis & pœna æterna delen-  
tur per Contritionem; pœna autem tempora-  
lis per opera satisfactoria: Ergo &c.*

REFUTATIO.

Insignis petitio principii! Supponit scilicet Vir Eximius, Contritionem, quæ deletur culpa mortalis & pœna æterna, sine magnis fletibus & laboribus passim acquiri: at hoc probandum erat, non supponendum; cum id vehementissime negemus. & Scripturis ac Traditioni existimemus contrarium.

COROLLARIUM

*De Amore prædominante, adversus eos-  
dem Aphorismos.*

Eximius atque Amplissimus D. Steyart in suis Aphorismis de Sacram. Pœnit. §. 7. n. IX. ita habet: *Qui nobiscum sentiunt, hos actus (charitatis & cæterarum virtutum) diu sine novo peccato, & quidem mortali, differri non posse, videant quid credant eos à peccatoribus citon non haberi, & sic dum juxta ipsorum opinionem longis dispositionibus exercentur, necessario transeat per nescio quot peccata mortalia nova, in quibus jam etiam Consuetudinarii fiant.*

Mirum quod Vir Eximius tam male eorum, quibus contradicit, sententiam intelligat: juvat hanc illi disertè ac distinctè exponere.

1. Dicimus teneri hominem semper habere charitatem.

2. Eum, qui charitatem non habet, esse in reatu peccati mortalis.

3. Hinc teneri justum, semper il-

lam charitatem conservare: peccato-rem verò debere ad illam conari.

4. Teneri justum toties actum charitatis elicere, quoties id necessarium est, ut charitatem non amittat.

5. Posse proinde eum peccare mortaliter actus illös omittendo.

6. Non tamen peccare mortaliter ad omissiones singulas, quæ ad amissionem charitatis disponunt.

7. Quod verò ad peccatorem attinet, hunc manere in reatu peccati mortalis, quamdiu charitatem non acquirit.

8. Sed non propterea singulis mo-  
mentis, quibus eam acquirere omittit,  
peccare novo peccato mortali.

9. Quandoam & quoties omit-  
tendo eam acquirere peccet mortali-  
ter, non humano, sed divino penitan-  
dum judicio.

10. Sæpius per illam omissionem sic  
peccare impoenitentem, qui conver-  
sionem suam prorsus negligit.

11. Pœnitentem verò, qui serio &  
continuo studio ad conversionem con-  
tendit, eti si justo Dei judicio, & ob-  
sistenter cupiditatibus diu differatur  
conversio, nequaquam nova interim  
mortalia committere.

12. Verum proinde non esse, quod  
dum longis dispositionibus exercetur,  
necessario transeat per nescio quot  
peccata mortalia nova.

13. Multo minus verum esse, quod  
in iis jam etiam consuetudinarius fiat.

Desinat ergo Vir Amplissimus per  
consequentias ejusmodi odiosas, quas  
negamus, Doctrinam de difficultate  
& tarditate conversionis laceſſere.

FINIS.







